B. N. C
FIRENZE
1045
22

[illegible]

1045.22

MISCELLANEE
R. BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE DI FIRENZE
1045
22



# PONTIFICI MAXIMO CLEMENTI XI.

## ODE.

NEſcit Terra novis parcere cantibus,
Clemens, nec Superi gaudia temperant:
Ex quo Clave Petri, ſedulus arbiter,
Cæleſtes aperis domos.

Invitus Latio nam ſolio ſedes,
Chriſti non dubio numine, Pontifex:
Nec juges lacrymæ concilio Patrum
Obſtant irrevocabili.

BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

Sic lætis populis proditus, infulæ
Mœſtum Gregorius ſuppoſuit caput,
Sceptri promeriti quo magis abſtinens,
Tanto ſumere dignior.

Felix Roma, tuas quàm gemerem vices,
Si tandem lacrymis victa fidelibus,
Desîſſes rigidam ſollicitâ prece
Expugnare modeſtiam!

Spem quantam faciunt gentibus imperî
Dulces primitiæ! Nam ſacra vix bonis
Clauſiſti auſpiciis limina, candidum
Cœpit currere ſæculum.

Aſtrææ reduci priſtinus eſt honos:
Romanam Pietas priſca habitat plagam,
Pallens unde Nefas, & profugum Scelus
Campos in Scythicos ruunt.

Nunc blanda excolitur Suada Quiritibus:
Nunç Thuſci veteres Tibridis hoſpites
Muſæ, & nobilium ceu prius Artium
Agmen floret amabile.

Tutelæ interea depoſitis tuæ
Pernox invigilas paſtor ovilibus :
Nec ſeptem tremulis verticibus tibi
Colles plaudere deſinunt :

Largo ſive fluens melle, ſalubria
Jejuno pecori pabula dividis :
Seu cautus prohibes fontibus obviis
Errorum innocuos greges :

Ægros ſeu refoves, & gremio excipis,
Quos vicinus agit ſemianimes fragor
Armorum, & ſubitis turbinibus ſolum
Vertentes Italum Noti.

Sed curas vigiles non premis Alpium
Anguſtis nimiùm finibus, impiger
Trans Bætim & Rhodanum, & littora Danubî
Mentem mittere providam.

Sic, dum bella tonant horrida, cogitas
Diſcordes animos jungere Principum,
Et ſuades placidus ponere mutuis
Enſes cædibus ebrios.

Cedent conſiliis mitibus, & pia
Firmabunt dociles fœdera filii:
Gaudebiſque frui, SANCTE PATER, tuis
Partâ pace laboribus.

Nos, ætas melior, tuta per otia
Almos Cælicolas rite precabimur,
Grandævo tibi dent, ſoſpite cum grege,
Longas ducere ferias.

SANCTITATI TUÆ
Devotiſſimus FRANCISCUS BOUTARD,
Abbas deſignatus, ex Regiâ Inſcriptionum
Numiſmatumque, ſimul & Cruſcenſi Academiâ.

1045. 22

7/b